

**Dissertatio medica inauguralis, de diarrhoeâ ... / ex auctoritate ... Guilielmi Jacobi 's Gravesande ... pro gradu doctoratus ... eruditorum examini submittit Joannes Rutty.**

### **Contributors**

Rutty, John, 1698-1775.  
Gravesande, Willem Jacob 's, 1688-1742.  
Rijksuniversiteit te Leiden.

### **Publication/Creation**

Lugduni Batavorum : Apud Henricum Mulhovium, 1723.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/yxabtazm>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



45239 / B



Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30514782>



DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**DIARRHOEA.**  
QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. GUILIELMI JACOBI 's GRAVESANDE,  
A.L.M. PHIL. ET J. U. DOCT. R. S. L. SOCI, ASTRO-  
NOMIÆ ET MATHESIOS PROFESSORIS,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,*  
*& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

*Eruditorum Examini submittit*

JOANNES RUTTY, Anglo-Brittannus.

*Ad diem 23. Julii 1723. hora locoque solitis.*

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud HENRICUM MULHOVIUM, 1723.

296803

DISSERTATIO MEDICA  
IN ACADEMIA

DIARRHOEA

ANNUENTE DDO THE OPT. MAX

IN ACADEMIA MEDICA

D. GUILLIELMO JACOBI GRAVENSANDI

A. M. PH. D. U. DOCT. R. S. L. SOCI. ASTRO.

NOMINE ET MATRIS PROHIBITIS

1722

PRO GRADU DOCTORIS

IN ACADEMIA MEDICA

PRO GRADU DOCTORIS

IN ACADEMIA MEDICA



JOHANNES RUTTY, Anglo-Britannicus

1722

ALCOHOLI BATHONUM

ALCOHOLI BATHONUM

VIRO ERUDITISSIMO

# GULIELMO RUTTY.

MEDICINÆ DOCTORI, COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDINENSIIUM NEC NON REGIÆ SOCIETATIS SOCIO, ET PRÆLECTORI ANATOMIÆ IN THEATRO CHIRURGORUM LONDINENSIIUM, CONSANGUINEO SUO AMICISSIMO ATQUE PATRONO QUAM PLURIMUM HONORANDO.

*Hanc Dissertationem in amoris,  
debitæ observantiæ & gratitudinis  
tesseram.*

DDque

JOANNES RUTTY.

VIRO ERUDITISSIMO

GUILIELMO RUTTY.

MEDICINAE DOCTORI, COLLEGI REGIA-  
LIS MEDICORUM LONDINENSIS NEC  
NON REGIAE SOCIETATIS SOCIO, ET  
PRAEFECTORI ANATOMIAE IN THEATRO  
CHIRURGICORUM LONDINENSIS, CON-  
SANGUINEO SUO AMICISSIMO ATQUE  
PATRONO QUAM PLENUM HONO-  
RANDO.

Hanc Dissertationem in aeneis  
libris obsequantibus & gratissimis  
legitimus.

Didus

IOANNES RUTTY.



DISSERTATIO MEDICA  
INAUGUTALIS.

DE

DIARRHOEÆ.



lenam enarrare Diarrhœæ Historiam, omnia ejus Phænomena à suis propriis Fontibus deducere, atque medelam ei in omni Casu debitam tradere in me non suscipio. Hoc neque limitibus hujusmodi dissertatiunculæ neque viribus meis conveniret. Ea pauca hanc materiem spectantia quæ mihi hætenus obvenêre & quæ maximè notatu digna censui profero, Rem sic aggrediens.

§. 1. Diarrhœa vocatur Excrementorum liquidorum per alvum egestio copiosior & frequentior quam ex consuetudine, sine vehementi Dolore.

Et sic distinguitur a Dysenteria quæ semper comitem habet insignem Dolorem & Ventris Torsionem unde hanc Latini Tormina nuncupavere vid. Fernel. Patholog. l. 6. c. 10. Cels. l. 4. c. 18.

Perperam itaque dicitur Dysenteria adesse ubicunque adest excretio Sanguinis per alvum. Hæc enim sæpe sine Dolore fit. Vid. inter alios Forest. l. 22. obs. 20. unde ad Diarrhœam

hœam tunc referri debet.

§. 2. Dividitur Diarrhœa à nonnullis in Biliosam, Pitui-  
losam, Melancholicam & Serosam, sed imperfectè, quum  
adjici posset Purulenta, Oleosa, Sanguinolenta, Cibaria & plures  
aliæ; Imo fere dixeram tot posse recenseri Diarrhœæ species  
quot sunt Humores diversi in corpore. Vix enim ullum est  
Viscus aut Vas quod emungi nequit per Alvum. Hoc ali-  
quantulum patebit ex sequenti. §e.

§. 3. Materiam suppeditant alvi Profluvio varii admodum  
Humores, à diversis corporis partibus, nunc his, nunc il-  
lis profluentes. Primò enim per alvum egeri potest ex Ore,  
Faucibus, Oesophago & Intestinis Humor dilutus vel mucosus,  
ex Pancreate ejus succus, ex Jecore Bilis hepatica, ex ve-  
siculâ Fellis, hujus Bilis; & hinc sæpe proveniêre Diarrhœa  
Mucosa, Aquosa & Biliosa authoribus notata.

Sed etiam ex locis à primis viis satis remotis provenire  
observata est materies hujus morbi, uti docuit Inspectio ca-  
daverum, ubi in Fluxu Purulento tabescente, deprehensus est  
Pulmo in Purulentiam abiisse, aliàs Hepar Vomicis obsessum,  
alias Abscessus Pleuræ, (à Pleurâ autem, vel si mavis, mu-  
sculis Intercoastalibus & à Pulmone Materiam morbosam non  
rarò expurgari per alvum ex historia horum morborum  
constat, aliàs Mesenterii Abscessus, ut videre est in observatio-  
nibus apud Bonetum collectis in L. 3. sic Schenkus l. 3.  
obs. Diarrhœam ex rupto Lienis Abscessu memorat. Atque  
notat Paræus (citante Etmullero) Pus per alvum rejectum  
ex ulcere Artuum. Deinde à visceribus Hypochondriacis  
per alvum deposita sæpiùs observata est Atra Bilis vel San-  
guis niger. sic apud Forestum habentur Exempla nigrarum  
Dejectionum in laborantibus Tumore magno sinistram me-  
diam partem ventris occupante, & Liene indurato, (Tu-  
more post has Dejectiones imminuto) Gravitate in Hypo-  
chondrio dextro, Dolore & Gravitate Hypochondrii sinistri.  
Forest. l. 22. Obs. 12. 13. 20. & quidem in cadaveribus eo-  
rum qui Dolores circa Hepar vel Lienem passi sunt & Nigra  
dejecêre, reperta sunt Hepar & Lien valde nigricantia. Bo-  
net. loc. cit.

Non

Non volo quamcunque atram materiem per alvum depositam esse atram Bilem. Potest enim Sanguis è propriis suis vasis excidens & tempore aliquo manens in Grumos congelars & nigrescere. Distinguitur verò ab atrâ Bile ex eo quod Lintea ei intincta rubescant, vel Vomitus cruenta præcesserit. Accedit quod atra Bilis semper acrimoniâ notabili prædita sit, usque adeo ut quandoque Metalla corrodat & Terram fermentet, qualis descripta habetur apud Veteres (Act. Tetrabib. l. 5. c. 46.) & hanc non fictam esse veris observationibus hodie constat.

Sanguinem ipsum hæc viâ deponi non rarò observatum est, & quidem sine Dolore, (vid. Forest. l. 22. obs. 20.) in Plethoricis sc. quorum sanguis aucta mole & impetu oscula Arteriarum mesentericarum in Intestina patentia eousque dilatare potest ut hæc sanguinem rubram admittant. Hoc enim fieri posse docent Experimenta quibus non tantum aqua, sed & crassiora Fluida in arterias mesentericas injecta in cavum Intestinorum penetrant.

Denique ipsum Habitum corporis per Diarrhœam exhausti posse patet 1°. ex illâ Diarrhœâ in quâ quod inferne procedit quasi Adipe vel Oleo perfusum cernitur, Febri colliquanti dictæ familiari, ubi Nares fiunt acutæ, Oculi concavi, Tempora collapsa &c. (vid. Fernel. Patholog. c. 10. Forest. l. 11. obs. 40.) Quippe Pinguedine Membranæ cellulosæ totum corporis ambitum investientis, Musculis ipsis horumque Fibris interstratæ, magnam partem Orbitæ oculi occupantis, atque unde præcipue pendet moles & Torositas partium mollium, jam fusâ & per alvum egestâ. sic enim Facies Hippocratica facilè intelligitur.

2°. Ex aquâ Leucophlogmatæ seu Hydropis ἀνὰ σάκος dicti per alvum evacuatâ. Testis sit Hipp. Aph. 29. l. 7. *si Leucophlegmatidâ detento valida Diarrhœa supervenerit, morbum solvit.*

Ex Observationibus hodiernis (Peyeri sc. & aliorum) constat hanc Hydropis speciem esse tantummodo collectionem aquæ in cellulis membranæ pinguedinosæ, illas loco Pingue-

guedinis replentis quas itaque hâc viâ depleri posse abunde patet.

§. 4. Hactenus fere nihil potulimus nisi quæ ipsa Observatio docuit, neque ullus fuit Disceptationi locus. Verùm jam de Causis efficientibus agendum, circa quas non usque adeo convenit apud authores.

Nos duas tantummodo generales agnoscimus Diarrhœæ causas, sc. 1°. Laxitatem Fibrarum Intestinalium, cæteris interim manentibus in eodem statu, vel Respiratione auctâ. 2°. Occlusionem Osculorum Venosorum in Intestina patentium, vel quodcumque Impedimentum unde Humores in Cavum Intestinorum effusi per illa in Venas readigi nequeunt, cæteris interim manentibus in eodem statu, vel Respiratione auctâ.

Quoad primam; Unusquisque sanus homo habet in Intestina sua quotidie depositam copiam liquidorum plus quam sufficientem validæ Diarrhœæ, quod ut pateat, lubet paulisper hic subsistere.

Primò itaque si sanus homo omnem suam Salivam colligat, non deglutiens, hæc ad minimum assurget ad ℥j spatio 24 horarum. si quis enim nihil comedens per totum Diem tantummodo Mastichen trituret in ore, & non deglutiens colligat omnem quam excrevit Salivam, assurget hæc ad ℥iiss. vel ℥jj.

Deinde Pancreas, ex comparatâ magnitudine hujus Glandulæ ad magnitudinem Salivalium, ex collatione Ductûs Pancreatici ad Ductus Salivales, quorum sc. ille se habet ad hos circiter ut 2 ad 1, effundit in intestina (ut videtur) circiter duplo majorem copiam quam excernunt Glandulæ Salivales, h. e. spatio 24 horarum circiter ℥jj.

Hepar dein & Vesicula Fellis Bilem copiâ satis majori deponent: Ex priori per Porum Biliarium destillat jugi fluore Bilis hepatica, & quidem in parvis Animalibus brevi ad aliquot Uncias.

Si animadvertamus 1°. in magnitudinem Hepatis, ingentis illius Visceris. 2°. in ingentem copiam sanguinis Hepati

al-

allati sc. totius à visceribus chylopoieticis reducis unà cum omnibus Humoribus per venas Mesentericas ex intestinorum, ventriculi &c. cavo absorptis & ad Hepar delatis, defectum amissarum per secretionem partium tenuiorum utcunque suppleantibus. 3<sup>io</sup>. in magnitudinem Emissarii Biliferi; atque hæc singula conferamus cum iisdem in Pancreate, credibile fiet haud minùs quam triplo majorem copiam liquidi ex Hepate quam ex Pancreate in eodem tempore effundi, adeoque Bilis 6 lb spatio 24 horarum in Intestina deponi.

Denique accedit Liquidum Mucosum & Tenuius Intestinarum, quorum præsertim posterioris copiam ingentem esse patet 1<sup>o</sup>. ex ingenti numero Arteriarum intestinis impensarum, quum nullibi in toto corpore numerosiores sint Arteriæ quam in Intestinis, atque hæc fere omnes Tunicæ Intestinarum internæ impenduntur. 2<sup>o</sup>. ex copiâ Arteriolarum in omni Puncto Intestinarum tenuium apertis osculis hiantium, uti ex Iniectione Ruyschianâ constat. 3<sup>io</sup>. ex perpetuâ hujus secretionem, quum hæc hic proculdubio fiat per sola vasa, sine interpositis Folliculis. 4<sup>o</sup>. Ex comparatione cum reliquis in corpore Secretionibus externis.

Egregius D. Freind in Dissertatione de Excretionem Intestinali Commentariis in Hipp. Epidem. annexâ, posito quod Intestinarum Longitudo sit circa 30 Pedum, Ambitus verò unciarum fere 4, & proinde Intestinis constituentibus Cylindrum in quo uncia 1440 quadratæ continentur, Cute verò continente uncias quasi 2640, Superficiem Intestinarum plusquam dimidii rationem habere supputat; sed quia Glandulæ non ita confertim in Intestinis ac in Cute reperiuntur, Superficiem ex quâ Humoris aliquid egeritur æstimari vult proportionem quam habet, 1 ad 4, unde v. g. Horæ spatio si Cutis 48 ejiciat, ex Intestinis profluere 192. concludit.

In quâ Supputatione Eruditiss. hic vir tantummodo considerat Longitudinem Intestinarum prout vulgò traditur apud Anatomicos, (sc. quod 6 plo longiora sint Homine illo cujus sunt propria) adeoque tantummodo externarum Inte-

finorum Tunicarum Longitudinem. Verum quum agitur hic de eâ superficie ubi fit Secretio, Longitudo Tunicae Intestinorum internæ est quam considerare debemus, quam in solis Intestinis tenuibus longè majorem esse quam supra dictum est, & proinde Secretionem copiosiore hic fieri facile patebit.

Ponamus itaque in homine mediocris staturæ v. g. 5. pedum, Intestina tota simul sumpta sine Distinctione Tunicarum esse 30 pedes longa h. e. 6 plo ipso homine longiora. Ex Intestinis jam crassis primò Cæcum est tantummodo faccus exiguum tantum longitudinem emetiens; Tunc Colon abdomen fere circumit, dein paululum ascendens & iterum descendens illicò in Intestinum Rectum, cujus longitudo exigua est, definit. Ergo crassa Intestina nequaquam excedent 5 Pedes: Restabit dein Longitudo Intestinorum Tenuium ad minimum 25 Pedum. Verum ob Duplicationes Tunicae internæ, hæc incumbente Nervosa (quæ sc. sicuti reliquæ Intestinorum Tunicae æquabiliter per totam Longitudinem Intestinorum sine Rugis porrigitur) triplo longior est in Jejunò & Ileo Intestino, imo quidem in Jejunò adhuc multò longior, adeoque Tunica internæ rugosæ Intestinorum Jejuni & Ilei h. e. Tunicae ubique Fistulis innumeris Liquidum advehentibus & effundentibus pertusæ Longitudo Computatione parcissimâ est triplo major quam Tunicarum eorundem exteriorum. In Intestino autem Duodeno Tunica interna tantum circiter duplo longior est incumbentibus. Ponamus jam longitudinem Duodeni Intestini esse 12 Pollicum seu 1 Pedis: Restabunt ergo Jejunum & Ileum 24 Pedes longa (sc. in Tunicis exterioribus) Verum quum Tunica horum interna triplo longior sit incumbentibus, hujus longitudo erit 72 Pedum: accedit dein Duodenum cujus Tunica interna longitudine duplo superat incumbentes, adeoque illius longitudo erit 2 Pedum. Ergo Tunicae internæ Intestinorum tenuium Longitudo erit 74 Pedum, h. e. 888 Unciarum, sed quidem Computatione parcissimâ, quum Jejunum ob valvulas immaniter assurgentes adhuc multò

tò plus quam triplo longior fit in Tunicâ suâ internâ quam in Incumbentibus. Supponemus verò longitudinem esse tantum eam quam statim diximus. Quoad autem Ambitum Intestinorum; quoniam nunc agitur de Tunicâ internâ quæ minores Circulos describit quam exteriores, & ne Calculus noster nimis assurgere videretur, ponamus Ambitum Tunicæ internæ esse tantum 3 unciarum. Continebit ergo 2664 uncias quadratas. Ergo superficies Cutis se habebit ad superficiem Tunicæ Intestinorum internæ ut 2640 ad 2664, h. e. hæc aliquantulum superabit illam. Si ergo ponamus Secretiones esse inter se respectivè ut Superficies ad Superficiem (licet, ut mox patebit, Intestina causas habeant Secretionem promoventes quas non habet Cutis) Secretio Intestinalis Cutaneam aliquantulum superabit. Sanctorius autem Aph. 6. §. 1. observavit quod *si cibus & Potus unius Diei sit 8 Librarum, Copia Perspirationis insensibilis ascendere solet ad 5 Libras circiter*. Ponamus itaque aliquem spatio unius Diei assumere Esculentorum & Potulentorum 6lb (quæ est copia satis usitata) h. e. 96 3 Quum 8: 5:: 96: 60 ergo perspirabit 60 3. sed Secretionem hanc posuimus se habere ad Intestinales ut Superficies Cutis ad Superficiem Tunicæ internæ Intestinorum. Ergo quum hæc aliquantulum superat illam, Secretio quoque Intestinalis Cutaneam aliquantulum superabit; adeoque Excretio in Intestina spatio unius Diei excedet 60 3. h. e. excedet 3lb. 12 3. Neque opus fuerit, ut opinor, Subductione aliquâ ob Glandulas non ita confertim repertas in Intestinis ac in Cute quum præter Glandulas istas Peyerianas adsint ora Arteriarum mesentricarum ubique in Intestinorum Cavum patentia quæ Injectio hodie demonstrat jugiter succum Tenuiorem effundentia. Sed porro Secretio per Tunicam internam Intestinorum habet Causas (haud exigui momenti) promoventes quibus destituitur Cutis. 1°. enim quum Secretio Cutanea fiat per partem frigidam, aridam, densam, aeri semper expositam, Secretio ad Intestina fit per Membranas tenuiores, & in Balneo tepido semper hærentes. Hinc enim minor oritur Re-

sistentia contra vim cordis & arteriarum à tergo premantium, adeoque uberior fiet Secretio. Sed 2<sup>o</sup>. per motum Peristalticum superficies valvularum dictarum Tunicæ internæ alternatim Affrictionem contra se invicem subeunt. Unde idem sequitur effectum ac si partes aliquas externas alternatim contra se invicem affricaremus, quippe Humores copiosius alliciuntur, augetur Calor & Secretio.

Tanta ergo est copia Humorum spatio unius Diei in Intestina depluentium. Sed præter hos succos Indigenas, accedunt Ingesti, non rarò magnâ copiâ; v. g. plurimi intra unum Diem bibunt 10lb. Aquarum Bathonenſium, adeo ut hi fortè hoc spatio Temporis accipiunt in Intestina ad minimum ultra 20lb. Liquidorum. Sed hæc est longè major copia quam fere unquam observata est in Diarrhœâ in eodem Tempore deponi. Unde igitur fit, & quamnam adhibuit natura Cautelam ne omnes quotidie Diarrhœâ laboraremus? Respr. Hoc præcavetur ex Robore seu Vi contractili Intestinorum, maxime Fibrarum Annularium firmarum & densarum, per quas, adjuvantibus Valvulis, Cavitas Intestinorum fere penitus aboletur. Nequaquam enim concipiendum est Intestina Tenuia in corpore vivo & sano sic se habere quemadmodum nobis ostenduntur inflata ab Anatomico, vel Flatibus distensa, ut in Cadaveribus non rarò conspiciamus; Verùm sunt instar Lumbricorum contracta adeo ut Cavum vix ullum relinquant. Hinc autem licèt ingens Liquidorum copia in ea spatio unius Diei admittatur, iis tamen præcluditur via secundum Longitudinem Intestinorum, adeoque per Anum, saltem valde arctatur, atque interim pergente motu Peristaltico valido omnia quorum crassities nimia non obstat, adiguntur in Oscula Venosa non tantum Lactea sed & Mesenterica ubique in cavum Intestinorum hiantia; Hinc moles Residua per alvum rejicienda fit sicca (adeoque) levis, quales esse Fœces sanorum Hominum Intestinales nemo non novit.

Pone vero hominem laborare Lienteriâ, h. e. perfectâ Intestinorum Paralyſi; tunc omnia liquida ingesta exeunt per al-

alvum; quippe Intestinis jam sic se contrahere nequeuntibus ut ea intercipient, nec intercepta in Venas adigant, & viâ secundum Longitudinem Intestinelorum jam factâ patulâ & quidem magis patulâ quam sunt Oscula Venosa, ipse motus Peristalticus (qui perstat licet languidior) unâ cum accedente vi Respirationis Liquida in Intestinis hærentia determinabunt deorsum & eliminabunt.

Si minor gradus Laxitatis Intestinis inducta sit, Liquida in iis hærentia partim per Anum extrudentur, partim adiguntur in Oscula Venosa, adeoque fiet Diarrhœa parciore vel copiosior pro majori vel minori Laxatione Intestinelorum. Atque sic hanc quandocunque accidit in corpore humano esse sufficientem & adæquatam Diarrhœæ causam patet.

Si unâ cum hac Respiratio augeatur, augetur causa Expulsionis per alvum, ut patet ex quotidiana Consuetudine, atque ex Fœtu, ubi licet Intestina crassa Fœcibus plena sint, nulla tamen unquam fit harum Expulsio ante Respirationem.

Sed & ex posteriori liquebit causam Diarrhœæ jam assignatam omnino admittendam esse: Ubi enim eæ Causæ præcessere quæ Laxitatem Fibris Intestinalibus inducunt, fit Diarrhœa. 1°. itaque ex Observatione Hippocratis *Aph. 17. §. 13. Aquilonia Tempestas alvos desiccet, Austrina humiditas reddit* Iterum *Aph. 6. ibidem: Assiduis Imbribus morbi qui incidunt hujusmodi sunt; Febres diurnæ, alvi Profluvia &c.* Nec mirum: Aerem enim externum perpetuò in Intestina demittimus, eum deglutendo cum Saliva, cum Cibis & Potulentis, qui quando humidus existit, præsertim tepefactus in Intestinis, vires eorum contractiles minuet, Laxitatem iis conciliabit, quum contraria Aeris Temperies contrarium habet effectum.

2°. Qualibus quæso hominibus alvus adstricta maximè familiaris est? h. e. quibus adest Temperies alvi Profluvio maximè adversa? Jis sanè quibus corpora sicca & calida, Strigosis, Hæmorrhoidibus vexatis, Perspiratione uberiori gaudentibus & proinde quibus Vasa & Viscera Robustissima sunt:

His enim Vires Intestinorum contractiles adeo validæ sunt ut quicquid Humidi præstò est in Fistula Intestinali in Oscula Venosa adigant, unde relinquitur Fœx sicca, dura, usque adeo ut ob hujus stagnationem Venarum Hæmorrhoidalium Compressio fiat, indeque Tumores &c. hominibus hujus Conditionis familiares.

3<sup>o</sup>. Liquida quæ vi Laxandi pollent, in Intestina admissa, Purgantia evadunt, v. g. Olea blanda & Jura Pinguia. Imò huc referre possumus Lac, serum Lactis, atque Aquam fontanam, quæ omnia si modo tale observetur Regimen ut hæc in Intestinis retenta ibi vires suas exerant, speciatim si ille qui hæc copiosius assumpsit in Aere frigido se contineat, evadunt alvum Laxantia.

Quoad alteram quam assignavimus Diarrhœæ Causam: quodcumque obtinet ea Conditio Intestinorum & partium adjacentium quam posuimus, Diarrhœam inde orituram esse Luce clarius est. Dum enim Causæ Liquida in Intestinorum cava expellentes pergunt, & causa illa per alvum detrudens, nempe Respiratio, pergit, vel augetur, & interim Oscula Venosa Humores eructatos in statu naturali recipientia, eos nunc non recipiunt, Excretionem per alvum sequuturam esse copiosiore nemo est qui non videt. Atqui hanc Causam non fictam esse, sed reverà sæpiùs obtinere in corpore humano ex observationibus quas Inspectio Cadaverum hoc morbo extinctorum præbuit, mox recensendis, patebit.

Multi Catharsin tum naturalem tum artificialem à solo motu Peristaltico aucto deducere voluere. Hi verò minùs intellexisse videntur quid reverà efficiat Motus Peristalticus, quippe mirabili artificio Fibræ Longitudinales Oscula Venarum Lactearum priùs complicata aperiunt, dum interim in ea aperta Fibræ Orbiculares quoque contractæ Liquida in Intestinis hærentia imprimunt. Quodcumque ergo motum Peristalticum auget, id ipsum auget causas Venas Lacteas aperiennes atque implentes, h. e. auget Causas Intestina deficcantes. Et quidem non adeo vim Respirationis, sed motum Peristalticum esse primariam causam Introitus Chyli in Lactea patet ex hisce Observatis. 1<sup>o</sup>. si Canis bene pasti Abdo-

domen aperias, postquam abstulisti Diaphragma & Musculos Abdominales, videbis motum Peristalticum pergere, atque hoc pergente Chylum in Lactea impelli. sed 2°. hoc etiam verum esse in ipso homine Respiratione non utente patet, sc. dum hæret Fœtus in Utero materno, (in quo motum Peristalticum æquè ac omnes naturales actiones pergere nemo inficias ibit) cujus Lactea tamen Chylo semper replentur. si enim recens nati Infantis, antequam aliquid comederit vel biberit, mortui, Abdomen aperias, invenies Lactea Chylo turgida.

Neque objiciat hic quispiam Matris Respirationem hujus Defectum in Fœtu supplere. Hæret enim Fœtus undique circumdatus Liquore Amnii. Quum autem Fluida semper quaquaversum æqualiter premant, Corpora iis circumdata vel mollissima à vi quantumvis ingenti externè premente nullam omnino accipere possunt mutationem in suâ Figurâ. Manet itaque motus Peristalticus causa Chylum & alia Liquida tenuiora (ubicunque enim crassius Liquidum tranare potest, ibi quoque tenuius) in Lactea adigens. Ea ergo quæ illum augment, Causam primariam Liquida in Intestinis hærentia in Lactea adigentem augment, h. e. desiccant Intestina, h. e. minuunt Diarrhœam.

§. Recenseamus jam Causas quæ observatæ sunt Diarrhœæ, specialiores, Procatarticas, Prædisponentes &c. si quæ aliæ fuerint, quæ omnes ad duas præcedentes (ni fallor) referri possunt.

Tales itaque sunt Errores in Victu, ut Cibi & Potus nimis copiosè ingesti Concoctione non evicti, Cibi vel Potus vitiosi, nimia Ingurgitatio Fructuum horæorum, ut Melonum, Peponum, Cucurbitarum &c. Mustum, Carnes vel Pisces Putrescentes; Cathartica, omissa corporis Exercitatio; aliæ Evacuationes suppressæ, v. g. Urinæ suppressio, unde insignem Diarrhœam notavit Rhodius, citante Etmullero. Sic Lochia suppressa in Puerperis interdum excitant Diarrhœam, & ex Menstruis suppressis diuturna alvi Profluvia notat Hipp. Tr. 3. 10. Coac. Perspiratio imminuta:

fic

fic notat Piso Obs. 65. 66. *de Morb. à Colluvie serosa* quòd si quis ingruente Autumno modo negligentior fuerit in corporis cultu & ambientis injuria minimè se vindicaverit, experietur alvum liquidioribus sibi solito fluere Excrementis. Hinc Willisius testatur se nòsse plures Ventris Constipationi obnoxios curatos fuisset diluculo & horà priùs assuetà citiùs Lecto assurgendo: quantum enim (ut ille bene notat, à Perspiratione solitâ adimitur, tantum ad Alvum lubricandam additur. Pharm. rat. §. 3. c. 1. Observante quippe Sanctorio §. 4. Aph. 15. *Dormiens duplo magis perspirat vigilante.* Deinde animi Affectus Alvum sæpe deturbant, ut Metus, Mœstitia, (quam si diuturna fuerit, Diarrhœam incurabilem producere notat Baglivius) Ira, circa quam idem author (in Prax. Med.) hæc habet: *Bonum si Diarrhœa Iræ supervenerit; & si hæc non supervenerit, superveniet Febris.*

Diathefin huic morbo maximè faventem habere observantur ii, quibus Constitutio Debilis viscerum primæ digestionis adest; & Balbi, auctore Hipp. Aph. 32. §. 6. atque ii quibus Cutis Densa est.

Porro Occasionem præbere Diarrhœæ sæpe visa est Febris cum Inflammatione Hepatis conjuncta: sic Piso Morb. à Colluv. Serof. Obs. 68. 69. §. 4. c. 1. notavit in principiis Februm continuarum quarum præsertim Focus Hepar est, maximè si Inflammatorio aliquo affectu opprimatur, alvum ut plurimum Aqueis Biliosis fluere Excrementis. Vid. etiam Bonet. Sepulchr. Anatom. L. 3. §. 10. Obs. 17. & §. 12. Obs. 3. Exemplum simile suppeditat Hipp. Epidem. L. 3. §. 7. ubi Febre correptus vehementissimâ cum Præcordiorum Tensione exusta non pauca per alvum demisit; Die autem sexto morbi Aurigine tentatus est. & in L. 1. Epidem. §. 7. ex Laboribus, Compotationibus & Exercitationibus intempestivis Febre vehementissimâ correptus Biliosa dejecit. Per totum autem Morbi decursum continens aderat Præcordiorum Palpitatio.

Notatu dignum etiam est observatum Pisonis loc. cit. *Quinetiam in Continentibus Febris, præsertim iis qui Phlogosin san-*

*sanguinis arteriosi consequuntur, cujus signum magna Linguae ariditas & nigrities, si praesertim insignis Habitus corporis Densitas adsit, Experientia docet alvum liquidis diffluere Excrementis.*

A Pleuritide & à Peripneumonia non rarò fieri Diarrhoeam Criticam Historia illorum morborum docet.

Diarrhoeam etiam excitant Vermes, Dentitio Infantum, Viscera Tabefacta, ut in pessimo gradu Scorbuti, Obstructiones à nimia Tenacitate Muci vel Humoris Pituitosi Lactearum Oscula obducentis, auctore Willisio.

Obstructionem Venarum Lactearum quaecunque nata unde hæc, Liquida ex Intestinorum cavo admittere nequeunt, Diarrhoeam inducere prius diximus. In cadaveribus jam hoc morbo extinctorum hæc ipsa comperta sunt, ut ex observatis apud Bonetum L. 3. §. 10. patet, ubi in Intestinis Diarrhoeam chylosam post Dysenteriam gravem laborantis, Cicatrix relicta vias per Lactea occluserat. Ibidem alias Glandulae Mesentericae obstructae & caseosam materiem repletæ post Fluxum Coeliacum reperta sunt: alias in Diarrhoea extincto repertus est Callus inter ipsas Venas Mesentericas, has obstruens; alias ingens Atheroma in gibba parte Hepatis adeoque & hujus vasa comprimens, unde Hepar majus solito apparebat & pleraque Venae Mesentericae, Intestinorum, Ventriculi & Lienis magnopere tumebant & ceu Varicosae conspiciebantur, ex quibus abunde constat vias per Venas Mesentericas hic obstructas esse; alias Pancreas Scirrhum.

Villis Tunicae Intestinorum internae erosae à gravi Dysenteria, Sequitur Diarrhoea qualem inde ortam per totam vitam durantem, nullis unquam auxiliis cedentem, idem auctor notat.

Denique Diarrhoeam aliquando producit Constitutio Aeris Epidemica, uti observavit Sydenham.

§. 6. Videamus jam paucis quomodo Insigniores ex his causis agant ad producendam Diarrhoeam.

Cibi & Potus nimis copiose ingesti, concoctione non evicti, quum in Naturam Humororum nostrorum non convertantur, eas spontaneas mutationes subeunt quas subirent in

C

quo-

quocunque loco calido retenti, adeoque si assumpta fuerint Acescentia, Acrimoniam acidam induunt, si Alcalescentia alcalinam, unde partim ratione Stimuli agunt, partim mole suâ Fibras motrices ad Expulsionem irritant.

Purgantium modum operandi plenè excutere Propositum nostrum non patitur. Paucis itaque hanc rem perstringamus.

Ex alvum moventibus lenioribus nonnulla solummodo Laxando agere videntur, v. g. Olea recens pressa, blanda, Decocta Emollientia &c. Tubam Intestinalem laxant, adeoque viam versus Anum magis patulam reddunt. Hinc vis Respirationis jam aliquid de Liquidis in Intestinis hærentibus deorsum determinabit. Alia (quæ sc. si qui ea sumit, in aere frigido se teneat, & ibidem leniter ambulet, Purgantia evadunt, v. g. Sales fixi, Sales nativi vegetabiles, Sales neutri ut sal marinus, Ammoniacus, Borax & Nitrum aliâ ratione agunt. 1º. fit copiosior Liquidi in Intestina Effluxus duplici de causâ, sc. ob Acrimoniam horum salium eliciuntur Lachrymæ Intestinorum, & Perspiratione in Regimine hic adhibito, imminutâ, augetur Secretio ad Intestina (cujus copiam magnopere pendere à copiâ majori vel minori secretionis per Cutim factæ ex observato Willisii supra tradito & plurimis aliis constat.) 2º. ob Poros per totum Habitum corporis partim oclusos major editur Resistencia contra vires liquida Intestinorum in Sanguinem impellentes; Ergo hæ vires minus Liquidi impellere valebunt, & proinde sequetur idem Effectum ac si Venæ Mesentericæ vel Lactæe arctarentur vel partiali obstructione laborarent. 3º. interim per lenem Deambulationem & Respirationem (h. e. primariam causam Egestionis omnis per alvum) inde auctam fit Determinatio deorsum. Tot leves Causæ concurrere videntur ad hunc levem alvi Fluxum producendum.

Quoad Purgantia acriora vulgo usurpata, v. g. Jalapium & Scammonium; hæc agere videntur 1º. Acrimoniâ suâ Intestina irritando Humores exprimentia ex Pancreaticis, Hepaticis, Mesentericis & Intestinalibus Vasis. 2º. Oscula ve-

no-

nosa non occludunt, sed in Sanguinem penetrant, ut docent Experimenta. Per hæc enim satis copiosè assumpta possumus Sanguinem solvere & specie aquæ per alvum educere. Porro ipsum Lac vi Purgatrice per hujusmodi Purgantia infici testatur Hipp. in Epidemiis: *Mulier, capra Elaterium vel Cucumerem depasta, pueris Purgatio.* Pechlinus vult vertendum esse Helleborum, non Elaterium: sed sive illud sive hoc sumas, utrumque est acerrimum & fere causticum. Ergo non agunt hæc & hujusmodi acria occludendo sphincterulos Venarum Lactearum &c. & sic viâ sibi & Humoribus in cavum Intestinorum præclusâ, Diarrhoeam excitant, verùm in ipsum sanguinem admituntur, hunc solvunt, solutum copiosius determinant (ut à posteriori novimus) per arterias Mesentericas. Ipsa inquam Purgantia in Sanguinem admissa hunc determinant; sive enim per os assumpta fuerint, sive in Venas immissa Cathartica, æquè purgant; adeo ut ad eorum Operationem non necessaria sit prægressa Irritatio Intestinorum, licet quando per Os assumpta fuerint, hæc ut causa concurrens admitti possit. Copiosius itaque determinato sanguine per Arterias mesentericas, hæc dilatantur: Ergo harum Fines extremi penduli in cavum Intestinorum apertis Osculis hiantes dilatantur. Quidni ergo Venæ absorbentes quoque ubique per totum Cavum Intestinorum pendulæ & apertis Osculis hiantes atque iis contiguæ, (quantum ex Anatomia hodiernâ constat) comprimantur eoque ut liquidorum in Cavum Intestinorum effusorum Readactioni pro ratione copię effusæ resistant, & hoc modo fiat Catharsis?

Vel si quis hoc non concedet, sed velit potius, præsertim ex assumptis fortibus Hydragogis tantam copiam Humorum per Vasa in Intestina patentia effundi quanta tota adigi nequit in Venas, unde Residuum per alvum vi Respirationis rejicitur, non habebit me opponentem. Quum enim ex grio assumpto copia Salivæ spatio 24 horarum excretæ non rarò assurgat ad 4 lb h. e. quadruplo excedat copiam in statu naturali excretam, quidni per fortia Hydragoga, v. 9. Jalla-

lapium & Scammonium (quæ æquè ac ☿ totum Sanguinem solvunt in aquam & solutum per alvum educunt æquè ac ille per os) etiam Excretio ad Intestina ad 4plo majorem naturali copiam affurgat, v. g. ad 48 lb? Licet jam ex supra dictis concedamus 24 lb. Liquidorum spatio 24 horarum in Intestina admissorum readigi posse in Venas, tamen duplo majorem in eodem Tempore effusam readigi posse nondum Experimentis mihi notis constitit.

Mel, Sacharum, Cassia & Manna leniter stimulantia & saponacea sunt, unde haud absimili ratione Diarrhœam producere videntur, quippe stimulando (sed leniùs) sanguinem solvendo, solutum copiosius per Arterias Mesentericas determinando, &c.

Quoad Animi Affectus, & 1<sup>o</sup>. Metum, videtur hic immediatè in Spiritus agere. Egregium hujus Rei Exemplum nobis suppeditant Biblia sacra Daniel 5. 3. 4. 5. 6. ubi de Rege Beltschatzar inter bibendum & lætandum, ex visis Digitis Manûs humanæ egressis & scribentibus in Tectorio palatii regii, subito Terrore correpto hæc habentur: *Tunc toto Regis splendore immutato, cogitationibus ejus conturbantibus ipsum: quum Cingula Luuborum ejus Dissoluta essent Genuaque ejus colliderent alterum alteri.*

Videmus hic Paralyfin Lumborum ex solo subito Metu inductam. Qui jam hoc intellexit, æquè facilè intelliget quomodo Metus Paralyfin Intestinis adeoque Diarrhœam inducere possit.

Mœstitia Perspirationem impedit & si diu durat, Carnes Frigiditas facit, teste Sanctorio Aph. 8. §. 7. sic Secretionem ad Intestina auget.

Ira, auctore Hollerio, movens Bilem movet alvum.

In Febre cum Inflammatione Hepatis & Dejectionibus Biliosis copiosior Secretio Bilis & in Intestina Excretio alvum liquidam reddit ratione contrariâ ei quâ Bilis Excretionis in Intestina Defectus efficit Fœces duras & siccas.

Visceribus Tabefactis, seu Pure vel Ichore Putrescente sca-

ten-

tentibus, hic venis lymphaticis vel sanguineis per erosa oscula immittitur, unde sanguini admiscetur atque cum eo circumfertur, sic motu & attritu magis ad Alkali accedit & Putredini proximus fit. Ergo Sanguinem solvit, & instar eorum Purgantium acrium, Elaterii, Scammonii, Jalapii &c. similia, (quorum quippe Purgandi vim acrimoniæ Alkali-næ deberi probabile reddidit pluribus adductis Argumentis Pechlinus de Purgant. c. 16. 17.) instar horum itaque Sanguinem solvit & solutum per Arterias Mesentericas determinat, indeque eodem modo Diarrhœam producit.

Tumor Vasa Hepatis comprimens & Pancreas Scirrhum Venam Portarum constringens Iter per Venas Mesentericas in Sanguinem obsidet adeoque liberum Ingressum in earum oscula in Intestina patentia impedit.

Villis Tunicæ internæ erosis, Glabrities Intestinis inducta est, Cibi, Potûs &c. Retinacula sublata sunt.

### PROGNOSES FAUSTÆ.

§. 7. Alvi Fluxus cessaturus est ubi quis copiosius mingere inceperit. Hinc Hippocrates: *Mictus noctu plurimus parvam Dejectionem significat.* Sic *Sudor Diarrhœis superveniens malum sistet.* Bagliv. Prax. Med.

Idem denunciat Flatus sine sequentibus alvi Fœcibus, & ubi contrectato manu ventre nullus Motus percipitur, auctore Hipp. in Prorrh. L. 2.

Ea Diarrhœa quæ ex Perspiratione impedita ab Ambientis Frigore oritur, haud mala est, inde enim expellitur id redundans, quod retentum noceret.

Diarrhœa sæpe utilis est in Febribus, non tantum in Declinatione, apparentibus signis Coctionis, sed in principio etiam cum magna plenitudo adest, teste Foresto L. 22. Schol. in Obs. 1. sic Piso Morb. à Colluv. seros. §. 4. c. 1. Febres continentes Phlogosin sanguinis arteriosi consequentes à Diarrhœâ accedente semper imminui observavit (ex-

ceptis tamen iis quæ cum Phlegmone Viscerum sunt conjunctæ.)

Uno die fluere alvum sæpe pro Valetudine est, atque etiam pluribus dum Febris absit & intra 7um. diem conquiescat. Cels. l. 4. c. 22.

Appetitu & Concoctione salvis vix unquam nocet Diarrhœa.

Quæ Lippienti sponte Diarrhœa cietur, salubris. Hipp. Coac. prænot. l. 2. c. 6. 10.

Ineunte Hydrope si aquosa incidat Diarrhœa cruditatis expers, morbum exsolvit. Ibid. l. 2. c. 19. 8. sc. dum adhuc validæ sunt ægri vires & Viscera nondum in Corruptionem adducta à Putredine aquarum in alvo stagnantium. Diarrhœa enim quæ tunc supervenit fere semper Lethalis est; Imò fere omnes Hydropicos Diarrhœâ perire observavit Forrest. schol. in obs. 1. l. 22.

Longo Alvi Profluvio laboranti sponte Vomitus superveniens morbum solvit. Hipp. §. 6. Aph. 15.

### PROGNOSES INFAUSTÆ

§. 9. Ratione Excretorum, hoc fere pro Axiomate recipiendum est, quòd quo plus hæc à naturali statu recesserint, eo pejor Diarrhœa; sed hac Limitatione severissime observatâ, quod ex Dejectiones quæ alio Tempore pessimi omnis sunt, criticè in vigore vel statu morbi cum signis manifestæ coctionis excretæ salutem prænunciant, ut probè notat Prosp. Alp. de præfag. vit. & mort. c. 10. Hinc dejectiones Liquidæ, Flavæ, Croceæ, Rufæ, Lividæ & Nigræ quæ in principio Morti absque signis Coctionis erumpentes exitiales, tamen cum signis Coctionis excretæ salutare sunt.

Omnis Diarrhœa in Hydrope quæ non juvat pessima; pravam enim Visceribus dispositionem indicat. Chesnean obs. l. 3. c. 6.

Uno die fluere alvum sæpe pro valetudine est &c. Verum

rum spatium periculosum est; interdum enim Tormina & Febriculas excitat, Viresque consumit. Cels. L. 4. c. 22. Tormina à Diarrhœa sequi etiam notat Hipp. Aph. 70. §. 7. scilicet, interprete Hollerio, non ab omni Alvi Profluvio, sed à diuturno, & quando Dejectiones sunt Biliosæ. Et quidem Dysenteriam hinc sequi debere facilè cernitur; quippe Muco intestinorum superficiem internam in statu naturali semper obtegente jam deterso, partim per diuturnum Rivum perpetuo defluentium Humorum Latera Intestinorum defricantium, partim per vim solventem Bilis, quæ scilicet saponacea est, omnia Tenacia solvit & summum est Detergens, unde jam, ex suppositione, majori copia depluens quam in sanitate, Mucum plus quam par est, detergebit, solvet & abluet. Verum deterso hoc Muco, Intestina nostra Sensilissima fiunt, & quæ hoc Linimento antea defensa, dura, aspera & acria quæcunque quæ quotidie ingerimus, sine Dolore ferre potuere, jam ipsam aquam deglutitam vix ferent sine Dolore, ut patet ex hoc Experimento. Assuescat aliquis diu Hydromel solum copiosius bibere, vel Mel aliquamdiu copiosius comedere: (quæ quippe similiter vi solvendi & detergendi pollent) Ille vix aquam deglutiet quin sequatur Dolor & ex ingestis minime acribus indurissima Tormina incidet. Sic jam in nostro Casu, absterso Smegmate illo naturali Nervi subjecti denudati ad appulsum minime Acrium Humorum sive Indigenarum, (hi enim quum falem Ammoniaco affinem in se gerunt, semper Acrimoniam participes sunt,) sive Ingestorum vehementer dolent. Ergo ad Diarrhœam accessit Dolor vehemens, h. e. facta est Dysenteria.

Febriculæ à Diarrhœa excitari videntur duplici ratione 1<sup>o</sup>. (ex Bellino de Febribus Prop. 4.) Diarrhœa habet quid ratione Stimuli, quo fit ut per motus Derivationis influat in Cor copia Liquidi naturali major, quoties adest in universo genere Nervorum tanta ejus Copia ut per derivationes copia naturali major possit in hunc aut illum Nervum influere: si vero universa illius Quantitas sit minor, per singulas Derivationes deducetur in singulos Nervos copia Liquidi non major naturali, si id penuria ejus non permittat, major tamen quam  
quæ

quæ afflueret nisi adesset Stimulus seu Motus Derivatorius; sed 2<sup>o</sup>. accedit, ni fallor, quòd quandoquidem omnes Secretiones, sic Diarrhœa succos naturales effundens Liquidum Tenuius è Corpore subducunt, hinc residuam Massam relinquunt inspissatam, partibus scilicet diluentibus magis orbatam, inde in suis partibus crassioribus aliquantulum adunatam adeoque per Angustias Capillarium tranare minus aptam; sed hinc orientur saltem leves Obstructiones, Inflammationculæ, indeque Febriculæ, quemadmodum ex omni Inflammatione fit Febris.

*Quibuscunque Phthisicis è capite unà Capilli defluunt ii Diarrhœa superveniente moriuntur Hipp. Aph. 12. §. 5.* In Phthisi inveterata fere omne quod Pingue est in Corpore perit, adeoque illud oleum quod ex capillatâ Cute Capitis perpetuo in sano homine exudans Capillos inungit, hos humidos & flexiles tenendo, horum Fistulas tenuissimas aptas servat Transmissioni Liquidi sui subtilissimi. Verum Oleo illo pereunte, Fistulæ istæ exsiccantur, unde Capilli non amplius nutriuntur, sed arefacti sponte decidunt.

Denotat itaque hoc Symptoma eum statum sanguinis adesse in quo hic orbatur suo Oleo, h. e. partibus blandis, Sales ejus obvolventibus, Saponaceos reddentibus, Alcalinitatem (ut ita dicam) impredientibus, adeoque sanguinem longe Acriorem quam in statu naturali. Quid ergo jam fiet de hoc sanguine quando ei (quod hic fit) perpetuo affunditur Pus vel potius Ichor putrescens: sane multo adhuc acrior fiet, solvetur tanquam ab acerrimo Cathartico & in Ichorem acrem conversus determinabitur per Arterias Mesentericas ad Alvim: unde Diarrhœa (qualis revera in his observatur) purulenta, foetida & cadaverosa. Si jam Diarrhœa longe mitior vires vel Herculis subito prostrernere valeat, quid efficiet hæc in his quorum vires Morbo magno jam fractæ sunt, & in quorum Cadaveribus sæpe tantum paucæ Unciæ Sanguinis repertæ sunt? Brevi proculdubio subducet à Cerebro quicquid spirituum adhuc superstes est, & ad Cordis motum continuandum necessarium.

*Biliosus liquidis ex alvo primum descendantibus post stercorosis Coma superveniens Tumorem ad aures facit Hipp. Coac. prænot. Tr. 4. e. 4. 50.*

*Si cum Fastidio Alvi turbata suppressio est, mox efflorescunt Papulæ similes Vibicibus Culicum; ac tum lachrymosi Abscessus ad Aures veniunt: Hipp. ibid. Tr. 4. 14. scilicet, in interprete Dureto, si alvus derepente sistatur quæ paulo ante mordacibus Excrementis liberaliter ferebatur.*

*Quibus alvi feruntur Biliosis Dejectionibus, Surditate oborta sistuntur. Hipp. in Coac.*

*Pleuritide aut Peripneumonia detento Diarrhœa interveniens malum Hipp. Aph. 16 §. 6.*

Hic forte est Aphorismus qui fere omnes Europæos Scriptores fefellit, pronunciantes scilicet Diarrhœam in omni morbo Pectoris Lethalem esse, quod falsissimum est; & quidem eget aliqua Limitatione Aphorismus hicce. Verissimum quidem est quod ubi Diarrhœa in Morbis Pectoris sit à Coliquatione, Ichore putrescente sanguini affuso, hunc solvente, Vires ægri morbo magno, & qui jam satis diu duravit, labefactatas ulterius prosternens, lethalis est. Verum tum in Pleuritide tum in Peripneumoniâ recenti alvi Fluxus Biliosus sæpe accidit cum Levamine ægri, & leniter Laxantibus promota Morbum feliciter ad finem perducit, uti testatur Experientia diuturna edoctus Præceptor noster (grato & reverente Animo semper colendus) Cl. D. Boerhaave. videantur & Hollerii & Heurnii Commentaria in hunc Aphorismum.

*Purgationi immodicæ Convulsio aut Singultus superveniens malum. Hipp. Aph. 4. §. 5.*

Singultus etiam species est Convulsionis: Convulsio autem quamcunque Evacuationem ingentem excipiens semper mala est.

Dejectiones omnes Versicolores damnantur: sic Hipp. si vero versicolores sint, diuturniores, sed nihilominus exitiales sunt. cui bene quadrant observationes apud Bonetum in Varietatorum Excrementorum Dejectione laborantium Cadaveribus, scilicet in his fere semper deprehensum est Visceris alicujus Vitium.

Dejectiones Foetidiores malæ sunt, utpote Putredinis Indici-  
cium. Admodum Foetidas & liquidas, Flavas, Pingues in acu-  
tis Febribus excretas (colliquativas vulgus appellat) observa-  
tum est esse valde perniciosas, quibus conspectis paucissimi  
servantur. Pr. Alpin. de præfag. vit. & mort. c. 11.

*Fere fit ut quem longa exercent alvi Profluvia, his Pedes in-  
tumescunt.* Lomm. Obs. Quippe ex Diarrhœa Functiones na-  
turales deficere constat, adeoque actionem Vasorum in San-  
guinem: Verum inde pendet sanguinis Densitas & Rubor.  
Resolvitur itaque Sanguis partim in tenuius Liquidum  
quod in Vasa Lateralia ibit, sed hinc in Venas adigi non po-  
terit ob vires vitæ deficientes: ergo stagnabit & accumula-  
bitur. Hoc autem primò fiet ad Pedes ob Distantiam ho-  
rum à Corde & quia Liquida hinc Cordi reddita ad perpen-  
dicularem attolli debent.

## CURATIO.

§. 9. Primo quum Stimulus Acer sæpissime adfit; ubi ergo  
adeft, tollendus est, quod dupliciter fit, scilicet, vel id cor-  
rigendo vel expellendo. Correctio autem perficitur vel 1<sup>o</sup>.  
per Medicamenta contra Acrimoniam in genere valentia qua-  
lia sunt Aqua simplex, (cujus copia satis larga diluendo omne  
quodcunque Acre plus minusve infringit) Involventia vel Ob-  
tundentia aquæ admista per quæ adhuc efficacius stimulus  
redditur Iners v. g. Aq. Decoct. Hordei, Radicis Althææ,  
Amyli, Farinæ Lini, quæ vel per os assumi vel specie Cly-  
smatis exhiberi possunt, Gelatina C. C. in Potu ordinario  
soluta; sic Compositio ex Sebo & Amylo quasi miraculose  
aliquando Diarrhœam compescuit, narrante D. Allen in Sy-  
nops. Medicinæ. Eidem scopo conferunt Emulsionem ex se-  
minibus blandis, insipidis, oleosis v. gr.

℞ Amygd. dulc. ℥j.

Sem. 4 frigid. maj. ℥ss.

Cum aq. Decoct. Hordei thiff. f. Emulsio cui ad-  
misce Syr. Althææ ℥ss. Cap. æger ℥iii vel iv. ali-  
quoties de die.

Idem præstat Effectum Oleum Amygdalarum recens pressum  
affatim haustum vel specie Clysmatis injectum. Sic Terræ Me-  
litenfes quæ in se gerunt aliquid Pingue & simul leve adstrin-  
gens, contra Diarrhœum ab Acri quocunque ortam valent.  
Huc spectant etiam Mucilago Gum. Tragacanth. Arabici,  
Sem. Cydon. Decoctum Intestinorum Verveum, Ichthyo-  
collæ, Symphyt. &c.

Huc refero Consilium illud Riverii: *si Hamor fuerit valde  
Acer & adustus, parcius & mitioribus medicamentis purgandus  
est æger; alioqui affectus ingravescit, sed Refrigerantibus & Hu-  
mectantibus temperandus est.*

Sic, Auctoribus Aetio & Alexandro Tralliano, ubi Bi-  
liosa pura Recrementa per alvum prodierint, hæc non per  
Cohibitionem curanda sunt, ne scilicet retenta Viscera in-  
flamment, Febres magis incendunt &c. sed in salubria ipsa  
permutanda sunt, & Cibariis mitigantibus prolicienda &  
profliganda ex Corpore. Hinc apud hos in hisce alvi Flu-  
xibus extra Febrem commendatur Lac Caprillum vel Bubu-  
lum tepidum & recens mulctum potui datum. Sed si Febris  
urgeat, non purum Lac exhibendum est, sed  $\frac{1}{4}$  pars aquæ  
admiscenda quia tunc purum Lac facile Nidorem acquireret.  
Alex. Trallian. c. 19. L. 3. Aet. Tetrabib. L. 5. c. 35.

Sed 2<sup>o</sup>. corrigitur Acre per acre oppositum. Quemad-  
modum enim extra corpus v. gr. ☿ præcipitatus albus, si spi-  
cula ejus Acida Alcalinis infringantur, dulcis evadit, sic in-  
tra Corpus, peccante Acido, ea quæ cum Acidis  
effervescent exhibita, cum iis in tertium quid non acre  
abeunt. (Quod idem quoque fit per Absorbentia.) Hinc  
pulchrum est Consilium D. Harris quod in Infantibus ubi  
Diarrhœa ab Acido fieri solet, hoc corrigendum sit per Pul-

veres Testaceos vel Absorbentia Terrestria, (ut demum Rhabbaro expurgentur) Qualia sunt Lap. & Chelæ 69, Ostracodermata quælibet, Terra Lemnia, Sigillatæ, C.C. ustum &c. Et hicce est Locus ubi Corallium tantum sibi nomen acquisivit in curanda Diarrhœa. Variæ formulæ ex his concinnari possunt pro lubitu v. gr. pro Infante unius anni.

℞ pulv. è Chel. 69 comp.

Margarit. pp. ana ʒj.

M. t. pulvis in 6 p. æ. dividendus.

Sumatur  $\frac{1}{6}$  pars omni Bihorio vel aliter pro re nata.

Verum si Stimulus sit Putridus, foetidus, Alcalinus, vel in Alkali vergens, qualem adfuisse testantur Observatores v. gr. ex Visceribus Pure scatentibus Ichorem putrescentem in Intestina effundentibus, Acetum vel succus Limonum (v. gr.) quatenus Stimulum illum enervant, ad Diarrhœam compescendam conferent. Sic auctore Foresto, ubi Biliosa & pura Recrementa prodeunt (quippe Bilis ex omnibus Humoribus circulantibus proxime ad Alkali accedit) convenit Cibus ex Hordeo torrefacto & Aq. pluviali, adjectis mali punici Acidi granis ac Acetosæ Foliis.

Sic si oriatur Hypercatharsis ex assumpto v. gr. Scammonio, Esula vel Helleboro, quorum purgandi vis videtur hære in sale Alcalino vel huic affine, Experimenta quibus constat horum Acrimoniam & vim purgatricem enervari ex admistione Acidi v. gr. aceti (vid. Pechlin. de Purgantibus c. 16. 17) nobis bonum Effectum ex Acidis contra talem Hypercatharsin exhibitis promittunt. Quinimo Acida revera valere in hocce Casu, Experimentiâ constat.

Denique forte huc referri potest illud Consilium Baglivii in sua Prax. Med. in Cap. de Diarrhœa: scilicet, *In veteratis alvi Fluxibus Dysenteria, Tenesmo &c. laborantibus excipiantur per inferiora Vapor Terebinthinæ prunis ardentibus injectæ & sanabuntur.* Quippe ex Terebinthinâ adhibito Igne, semper ascen-

ascendit spiritus Acidus, ut docet Chemia, adeoque ubi provenit Diarrhœa ex Humore putrescente ad Alkali vengente, illum Acidum Terebrinthinæ spiritum si modo Humori huic accedere possit, eum in contrariam Indolem conversurum esse, nullus est dubitandi locus.

Verum altera Acre debellandi methodus est, id expellendo, quod fit 1<sup>o</sup>. per Emetica. verum hæc semper cum Prudentiâ exhibenda sunt; si enim v: gr: suspicio sit Inflammationis alicubi vel Vomicae in aliquo viscere, si æger in Hæmoptoen pronus sit, vel Sanguine abundet, vel Herniâ laboraverit, ab his abstinere oportet. Sic Sydenham pulchre nos docuit quod licet Emeticum in aliis Febribus, ægro Nauseâ laborante, in initio propinatum, Diarrhœæ in fine Morbi aliter orituræ felicissimè occurreret, & porro jam natam tolleretur, in Febre tamen Inflammatoriâ Emeticum non solum non impedire Diarrhœam, sed quandoque creare. Sed cum dictis Cautelis, ubi Stimulus Acer in primis viis hærens Irritatione facit Diarrhœam, Emeticum exhibitum v: gr: Ipocacuanha ad ʒj vel ʒss quotidie pro 3 diebus consecutivis, hanc certissimè tollit. Hinc quæ oriuntur Diarrhœæ ex Errore in Victu, v: gr: ex Ingluvie Fructuum Horæorum hac methodo felicissime tolluntur. sed 2<sup>o</sup>. in iisdem Casibus Purgantia idem præstant Effectum, imo Catharticum fortiter operans post unam validam Operationem talem Diarrhœam tollit. Si dentur talia Purgantia quæ simul roborant, tunc illa agunt partim educendo stimulum, partim roborando Intestina. Inter hæc Rhabarbarum primarium est. Iisdem viribus pollent Myrobalani Emblicæ, Bellericæ vel Chebulæ

℞. (itaque v: gr:) educendi stimulum atque roborandi gratiâ,  
Myrob. Emblic. sine Nucleis ʒij

Rhabarb: ʒij

Aq. font. ʒij. cum hac contrita addito pauxillo Cinnamomi exhibeantur pro una Dosi.

Ad eundem scopum conferunt eadem Purgantia specie Clys-

matris injecta, sed Dosi 3plo vel 4plo majori, sic enim æque feliciter operantur ac si per os assumpta fuissent. Atque hæc Forma in Infantibus sicuti & in adultis Nauseâ contra quodcunque iis offeras, laborantibus necessaria est. Sed hæc nequaquam universalis est Curatio Diarrhœæ, ut patet in Diarrhœâ illâ à Sydenhamio notatâ Epidemicâ, simul regnante Constitutione Variolosa, quæ (Diarrhœa) soli V. Si. & Refrigerantibus promptè cessit, sed exhibitis Rhabarbaro aliisque Catharticis lenitivis Exitialis sæpissime evasit. Atque aliquando fit Diarrhœa bene operante Naturâ nostrâ ope non indigâ, cui tunc totum negotium committi debet.

Sed tamen ubi cum Humoribus acris v: gr: Biliosis, fluit alvus & prudenti Medico Metus est ne ex Morâ induceretur major Acredo, Putredo vel Inflammatio Viscerum, vel speciatim Dysenteria, oportebit Expurgationem à natura inchoatam aliquantulum promovere Purgantibus lenibus, vel & præmissis Corrigentibus, vel una cum Purgantibus exhibitis, v: gr.

℞. Aq. decoct. Hordei ʒiij  
Syr. Rosar. solutiv. ʒij M. f. Hanst.

Accedimus jam ad Curam per Adstringentia, quæ tamen crediderim longe plus damni quam boni attulisse ad Diarrhœam indiscriminatim tollendam adhibita. Quippe sæpissime ex his Lupus in Ovili inclusus longe pejora patrat mala. Testem advoco Alex. Trallianum L. 3. c. 19. qui se sæpe vidisse inter exordia statim Diarrhœæ quibusdam alvi impetum intra 4um. vel 5um. diem vel per se aut paululum Adstringentis cibi sumptione prohibitum testatur, unde ægrotantes in summum devenere periculum, adeo ut redderentur Dementes, Phreneticæ aut Veternosi, vel circa Aures periculosi Abscessus emergerent. Videantur & similia observata ex Hipp. supra pgr. 7. & 8. §. 8.

Sic Sydenhamus in Diarrhœâ illâ Epidemicâ quæ regnante  
Con-

Constitutione Variolosâ grassabatur, V. Si & Refrigerantibus solis cedente, notat Morbum hunc, ex levi, suâ naturâ Exitialem evasisse ex usu Adstringentium. Sic Forestus L. 22. Obs. 40. notat ex Fluxu ventris admodum acri & bilioso ab Empiricâ Muliere subito adstricto ortam Exulcerationem Intestini Recti & Tenesmum; & Cydoniatis intempestivè suppressâ Diarrhœâ Ileon lethale notavit Ballonius, citante Etmullero. Simili ratione qui Adstringentibus utitur in Fluxu Colliquativo, orto scilicet ex Ichore putrescente sanguini affuso, ille materiem jam putrescentem retinet, & plures subire Circulationes, attritus &c. facit; Hanc ergo magis putridam reddit, adeoque ille Humor qui Benignitate Naturæ ex Corpore eliminata fuisset, jam Arte damnosâ retenta, Viscera plus depascet.

Sic in Exordio Februm ubi sæpe observatur Diarrhœa Febrem imminuens & noxia salubriter evacuans quid efficerent Adstringentia facile patet, ut & in Diarrhœâ Criticâ.

Porro notatu dignum est aliquando Adstringentia nihil omnino vel parum admodum ad Diarrhœam sistendam conferre, uti observavit Sydenham in Diarrhœâ Febri Regulari in ejus Declinatione superveniente. Imo in Obs. 10. L. 22. notavit Forestus Diarrhœam Biliosam quæ quo magis sumerentur Constringentia, eo magis augebatur, & hoc sæpe fieri solere.

Ubi itaque Diarrhœa non est Opus Naturæ liberantis Viscera, ubi materies Acris non egeritur, quod partim ex absentia Fœtoris insignioris dignoscetur, ubi adsunt signa Temperiei Laxæ, Bilis deficientis vel nimis inertis, ubi Excrementa pituitosa sunt, aquosa, minime graveolentia, ad colorem candidum potius quam ad Croceum vergentia, nullis comitantibus signis Cacochymix, vel ubi Diarrhœa à sola Laxitate oritur, ibi conveniunt eamque certissime tollunt Adstringentia. Hinc narrat Forestus quendam qui 3 annis Diarrhœâ admodum aquosâ & liquidâ laborasset, aliis frustra tentatis, tandem cum Pulcem ex Glandibus comederet, al-

vum

vum accepisse restrictam.

Porro ubicunque ex Fluxu immoderato Vires multum prostratae sunt, (non raro enim ex enormi Fluxu fit Syncope vel Convulsio & mox mors) Darrhoea semper sistenda erit.

Adhibitis itaque supra dictis Cautelis, & Indicationi maxime urgenti satisfaciendo, Adstringentia & Exiccantia adhibenda sunt v. gr. Cort. Granator. Mivæ Cydoniorum vel horum succus expressus, pulv. ex Foliiis Quercinis exiccatis, Tormentilla, Bistorta, Capparis &c. Nihil autem præstantius est Rhabarbaro tosto & Catechu. Ex his variae Formulæ concinnari possunt v. gr.

℞ Cort. Granator. ʒss.

Rad. Tormentillæ ʒi.

Bistortæ ʒii.

Rhabarb. tost. ʒss.

His in pulverem redactis admisceatur syr. myrtini q. s. ut f. Electuarium, de quo capiat ʒss. quater vel quinquies de die.

A Potu abstineat & ab omnibus humidis & mucosis, panem Biscoctum comedat, & Carnem Assatam cum aromaticis, Vinum austerum generosum concedatur. Et hic locum habet Consilium illud Ludovici Septalii L. 7. scilicet, *In alvi profluvio illud manimè cavendum, ne dum virium maxime rationem habere voluerimus consumptis v. gr. Carnium Juribus Pinguibus, Laxitatem ventriculi & intestinorum nimiam procuremus alvique Fluorem adaugeamus.*

Externe adhibeantur Fomenta ex Spiritu vini simplici vel mastichino vel Sp. V. Theriacali & cæteris similibus. Sic commendat. Alex. Trallianus c. 19. L. 3. externe adhibendum oleum Myrtinum in quo Galla Asiana vel Malicorium decocta sunt.

Hâc methodo Diaahcea à sola Laxitate orta, certissime tollitur.

Sequitur dein Curatio per Narcotica quæ Diarrhoeam sistit

stere nemo non novit, & quidem aliquando omnia alia præsidia frustra adhibentur (Vid. Forest. L. 22. Obs. 17.) Interim non nisi cum Prudentiâ usurpanda sunt; ubi enim adest nimia Acrimonia vel Putredo, vel metus Inflammationis, ab his omnino abstinendum erit. In hisce enim Casibus hæc instar Adstringentium pejora inducunt mala.

Interim ubi ob Fluxum immodicum deficiunt Vires vel urgent Vigiliæ, Indicatio erit Fluxum sistere per Opium vel quid simile.

Perpensis itaque Indicantibus Narcotica atque contra indicantibus & probe inter se collatis, ubi illa his præpollent, hujusmodi Formulâ ægro succurrere possumus.

℞ Laud. Londinens. gr. ij.

Mastiches ℥ss.

Terræ sigillat. ℥i.

M. f. Pil. pro una Dosi reiterandâ si opus fuerit.

Denique curatur Diarrhœa Determinatione ab Intestinis ad alias partes, & quidem 1°. ad Cutim. Magnopere sanè à se invicem pendent Secretio ad Cutim & illa ad Intestina. Sic enim ex Observatione Willisii ad Ventris Constipationes tollendas suffecit surgere de Lecto citius solito, Perspiratione quippe sic imminutâ. Similiter, notante Pisone, ingruente Autumni Frigore, si modo quis negligentior fuerit in corporis cultu & ab ambientis Injuria se minime vindicaverit, experietur Alvum liquidioribus solito sibi fluere Excrementis. Contra vero secretio ad Cutim aucta, v. gr. Indusium laneum induendo, magnopere conducit ad curandam Diarrhœam vel habitualement, observante Wainewright. Imo Lana sicca tantummodo partibus sub Ventriculo imposita alvum exsiccando sistit teste Alex. Tralliano c. 19. L. 3. Quinimo summæ Hypercatharces etiam à Venenis ortæ sistuntur, ducendo ægrum in Balneum vaporis & ibi fricando Corpus.

Ubi jam oritur Diarrhœa à suppressione Sudoris vel Perspi-

E

spi-

spirationis, hæc Methodus valebit: quippe Indicatio erit restituere hanc secretionem imminutam. (Hinc apud Practicos adeo laudantur in pertinacibus Diarrhœis Decoct. Lignorum Sarsaparill. Sassafr. Guajac. Theriac. Mithridat. &c.) atque etiam, *In Diarrhœâ Epidemicâ contagiosâ malignâ, & quidem in principio ubi vires integræ sunt, Alexipharmaca & per Sudorem ejicientia primas obtinent ægro simul quieto & in calido aere se continente*, auctore Etmullero. Quippe materiem volatilem sic eliminari posse haud dubium est.

Observavit Hipp. in Coac. 1. Faciem nitidiorem reddi & ab Exanthematibus expurgari per Alvum liquidam. Vicissim observavit idem Hipp. Coac. Tr. 4. 14. *Si cum Fastidio alvi turbatæ suppressio est, mox efflorescunt Papulæ Vibicibus Culicum similes &c.*

Hiscæ jam observationibus satis congrue immundam quidem sed aliquantulum curiosæ speculationis Diarrhœæ Curam proposuit Alex. Trallian. (c. 19. L. 3.) quam huc transferre lubet, scilicet illa sic se habet. *Balnea quæ in hac affectione (scilicet Diarrhœâ) constitutis expediunt potissimum oleo carere debent, Nitri vero naturam imitari. Confert enim si quicquam aliud, Nitrum crematum, & lævigatum corpori in balneo aspersum tantisper dum Cutis  $\Phi\alpha\iota\nu\chi\eta$ , h. e. puniceo colore rubescat & cruento cum rubore tantum ex Erosione non exulceretur, & ex alto in Cutis superficiem Fluorem trahat. Deinde Scabiei specie inductâ Cutem Balneo perungito.*

2°. Determinando materiam ad Renes curatur Diarrhœa. *Mictio noctu plurima parvam significat Dejectionem*, inquit Hipp. & Secessus largus, auctore Dureto, Mictionem habet parcam. Ubi itaque deficit secretio Urinæ hæc restituenda erit, si modo nihil aliud contra indicet (quod ex supra sparsim dictis utcunque colligi potest) v. gr. hujusmodi Formulâ.

℞ Rad. Apii

Rufci

Asparagi an. ℥ij.

Taraxac. mij.

Coq. in aq. font. ℥xl ad xxij.

Sub finem adjiciendo

Vini Rhenan. ℥vj

Coletur & ℥iii hujus Decocti hauriantur sæpius de die.

Coroll. 1. Ex Observatis de Causis hujus Morbi patet quasdam Diarrhœas penitus Incurabiles esse (debemus enim Limites Artis agnoscere, atque hos cognoscere utile est) Talis v: gr: est ea quæ oritur ab erosio Villis Tunicæ internæ Intestinorum (qualem supra recensuimus ex Boneto.) Partes enim destructas de novo creare (quod hic requireretur) vel audacissimus Empiricus haud pollicebitur. Talis quoque est ea quæ oriri potest ex Scirrhis inveteratis in Glandulis Mesentericis, Pancreate vel Hepate: Scirrhos quippe inveteratos resolvere nescit Medicina. Denique Diarrhœam Colliquativam, (eam volo quæ ex Viscere aliquo tabefacto Ichorem putrescentem sanguini affundente oritur) Curatam fuisse haud unquam veris constitit Observationibus.

Coroll. 2. Ex dictis de Curatione patet Diarrhœam quam minime Empiricis committendam esse. Laudat hic Ipocacuanham, alius Rhabarbarum (tanquam specificum) alius Mespilos &c. Verum hæc omnia aliàs optime Curationem perficiunt, alius Damnosissima sunt. v: gr. Emetica licet feliciter tollant talem Diarrhœam qualem supra descripsimus, si tamen oriatur à Plethorâ Diarrhœa (qualem supra recensuimus) hoc medicamento genus pestiferum erit, quippe urgendo sanguinem jam abundantem in Vascula tenerrima Cerebri Apoplexiam inducere possent. similiter ubi oritur Diarrhœa à Visceribus tabefactis, v: gr: ex Hepate; Quum hoc Viscus in statu etiam naturali tenerrimæ sit Fabricæ, & fere friabile,

fed nunc longe tenerius, per validos ex Emeticis Abdominis Concussus rumpi potest, adeoque Pus suum in Cavum Abdominis effundere, unde dirissima mala. Sed neque ipsum Rhabbarum tantopere laudatum pro Specifico contra hunc Morbum admittendum est. Testis sit Sydenham qui Diarrhoeam illam quæ regnante Constitutione Variolosa grassabatur solis V. Si. & Refrigerantibus cedentem ex hoc ipso Exitialem evasisse notavit.

Deinde Adstringentia licet pulcherrime subveniant ubi sola Laxitas adest Intestinorum, alias tamen sæpe summa patrant mala. Ne plura dicam, audi tantummodo Alex. Trallianum in L. 3. c. 19. *sæpe vidi inter Exordia statim Diarrhœæ quibusdam Alvi Impetum intra quartum vel quintum Diem vel per se vel paululum Adstringentis cibi sumptione prohibitum, unde ægotantes in summum devenire periculum, adeo ut redderentur Dementes, Phreniticive aut Vternosi, vel circa Aures periculosi Abscessus emergerent.*

F I N I S.











